

1532 nequaquam inferior esset ; attamen a pace minime abhorrebat ; atque ea de causa Hieronymum Lascum oratorem ad Cæsarem , & Ferdinandum miserat . Is cum de eorum voluntate certi nihil percipere potuisset , & conventus in Spi-ra civitate indictus , in aliud tempus rejectus fuisset , ad Germanos Principes proficisci statuerat . At fidei publicæ a Ferdinando impetratæ , qua tutus illi in Germaniam ingressus patuerat , præfinito tempore elapso , regredi in Pannoniam est coactus ; literis prius ad Germaniæ proceres , ad Galliarum Regem , ac Pontificem missis , quibus propensum ad pacem Joannis Regis studium significavit ; Senatūque rogavit , Clementem , & Franciscum Regem de tota re edoctos , ut publicæ pacis bonum procurarent , adhortaretur . Joannes vero Rex , quo Germanorum in Ferdinandum studia repescerent , in conciliis , quæ passim per Germaniam habebantur , vulgandum curaverat , hostium loco , qui Joanni adversarentur , Suleimanum habiturum . Venetias quoque oratorem misit , qui enixe a Venetis postularet , auctoritate , qua plurimum possent , cum Cæsare , ac Pontifice agerent , ut concordia potius , quam bello rem decerni vellent . Senatus illius causam amplexus , quænam Regis mens erga pacem esset , Pontifici significat , ut ad tantam rem conficiendam animum adjiciat , suadet : quantum inde emolumenti ad Christianam Rempublicam Principe multis virtutibus or-nato , qui parte amplissimi regni potiatur , a Turcicorum auxiliorum illecebris abstracto , & cum reliquis Christianis Principibus arctiori , ac firmiori concordiæ nexu conjuncto , accessurum sit , docet ; quem satis constaret , extrema quæque subituum prius , quam Pannoniæ regno exui se permetteret . Cæsaris quoque legato , quæ sint Joannis Hungariæ Regis consilia , quæ cogitationes , significatur .

Verum Pontifici bellum magis , quam pax probabatur , vel quod pace religionis dissidia majoribus incrementis augeri posse vereretur , vel quod cunctos Europæ Principes adversus Turcas acrioribus conatibus , spe quadam victoriæ animo usurpata , impellere , & concitare cuperet . Nam Veronensem Episcopum per eos dies Venetias miserat , ut Senatum ad foedus adversus Turcas ineundum hortaretur . XI. kal. februarii

egit

Matthæus  
Gibertus a  
Clemente  
Venetias  
missus .